



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

De B. Torphimo Episcopo Hamariensi In Norwegia, Brugis In Flandria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)



EX CAPRARIO garius Eadmundi filius. Sed pars regni, quæ trans Thamesim ad Septentriones vergit, ei delata erat a populo, Eadwii fratris libidine et stoliditate offenso, biennio ante.

e Coronatus est Rex Angliæ Ethelredus an. 978, 14 April. die Dominica, ut ad cap. 1, vite S. Eduardi diximus v Januar. Unde pater S. Wulsinum, ut fuerit anno 1 Ethelredi Episcopus creatus, ante annum 983, non esse defunctum, cum Episcopatus sui anno quinto decesserit. f Harpsf. Egelinus.

## DE EODEM, EX WILL. MALMESBURIENSI.

a  
S. Wulsinus  
fit Abbas,

dein Episcopus.

b  
Monachos inducit pro Cœnonicis.

Hunc Dunstanus Archiepiscopus, a cum esset Episcopus Londoniæ, Abbatem apud Westmonasterium fecerat, instructo ad xii, monachos cœnobiolo, in loco ubi quondam Mellitus ecclesiam S. Petro fecerat. Ita commissum officium sancte et prudenter administranti, honos Episcopalis apud Schireburniam impactus. Qui confestim in Sede Episcopali monachos, Clericis ejectis instituit, ne in tanta b contemporaneorum Episcoporum sedulitate dormire videretur. Cœnobitis nihil ad victus necessitatem ex Episcopatu largitus, sed ex alieno mercatus, Abbatem quoque instituire cogitavit. Illis reclamantibus, quod ejus dulci dominatione, dum adviveret, carere nequirent,

cessit invitus, palamque pronuntians magnarum id calamitatum initium successoribus eorum fore.

2 Cujus sanctitatis documentum cum in vita sepe, tum in morte præcipue manifestatum est. Namque cum jam proxime mortis januas urgeret, apertis mentis oculis exclamavit in cantum: Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei. Quo cantu sine titubantia expresso, inter cantandum defungitur: sancta et venerabilis anima, quæ dictum primi et beatissimi Martyris mutuari potuit! beata quæ cœlum apertum vidit et introire meruit! Servatur ibi adhuc baculus ejus et quadam alia Pontificis insignia, mediocritatis et humilitatis ejus, vivum (ut ita dicam) simulachrum præferentia.

Cantans et  
Christum videns moritur.

Ejus reliquæ.

a Mathæus Westmonaster. Anno gratiæ 598, defuncto Brithelmo Londoniensi Episcopo, Rex Edgarus in loco ejus Beatum substituit Dunstanum. Qui protinus apud Westmonasterium constructo ad duodecim monachos cœnobia, in loco ubi quondam Mellitus Episcopus B. Petro ecclesiam fabricaverat, S. Wiltium ibidem constituit Abbatem. De S. Mellito agemus xxv April.

b Idem S. Ethelwoldus Wintoniensi Episcopo facit, ut ad an. 962, testatur Westmonasteriensis, et nos in ejus vita dicemus 1 Augusti; et alii eadem ætate plures sancti Episcopi.

## DE B. TORPHIMO

## EPISCOPO HAMARIENSI IN NORWEGIA, BRUGIS IN FLANDRIA.

AN. CHR.  
MCLXXXIV.  
VIII JANUARI.  
Thosanium  
monasterium.

Thosanium, sivi Dustanum, celebre olim territorii Brugensis in Flandria, instituti Cisterciensis monasterium fuit, quod Hæketus, ex Decano S. Donatiani monachus Dunensis, primus Abbas administravit. Ad hoc se Torphimus Hamariensis Episcopus e patria pulsus contulit, ibique sanctissime diem obiit. De eo ista scribit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii.

Hic B. Torphimus exul obiit.

2 Apud Brugas, obitus Torphimi Episcopi, in Thosano Episcopali monasterio, quod Flandrice Doest, dicitur: ubi hoc habet epitaphium, etsi simplici stylo, in elevato sarcophago: Hic jacet Dominus Torphimus, ex regno Norwegiæ, civitatis Hamariæ Episcopus, qui pro jure Ecclesiæ de terra sua exulatus, et in mari naufragatus, hic tandem veniens pauper et attenuatus, per triginta septimanas infirmatus, hospitans, et amore Christi misericorditer sustentatus, sancto fine quievit, anno Domini MCLXXXIV, vi Idus Januarii. Anima ejus, etc. Ejus nulla fit in divino officio mentio. Ante annos tamen circiter septuaginta cum sepulchrum reliquæ planiciei Abbas æquari vellet, ex affecto loculo, suavissimus odor dicitur templum replevisse. Quo facto ab incepto disistebatur. Eadem fere habet Guilielmus Gazæus in Historia Ecclesiastica Belgii, qui Sanctum indiget.

Attactio ejus sepulchro odor suavis erumpit.

Vita ejus ex Chrysostomo Henriquez.

3 Chrysostomus Henriquez in fasciculo Sanctorum ordinis Cisterciensis lib. 2, dist. 10, cap. 5, paullo fusius de eo scribit: In territorio Brugensi, B. Torphimus Episcopus. Hic natione Danus, magna sanctitatis opinione ab ipsa juventute eluxit, et in sacro Cisterciensium ordine Altissimo militans, mirabili virtutum splendore radiavit. Cujus cum boni exempli odor se circumquaque diffunderet, ne sub medio clausuræ regularis tanta lucerna lateret, ad Episcopatum assumptus est, et Hamariæ Ecclesiæ Præsul et Pastor præfectus. Cumque jura Ecclesiastica, zelo Domini inflammatus, nullam Principum formidans potentiam, contra infractores et contemptores sacræ et Ecclesiasticæ libertatis defenderet, multas hac de causa tribulationes perpessus est. Quibus exagitatus, immobilis tamen perseverat. Cum tamen adversariorum prævaleret impietas, et sanctus vir tot laboribus quasi opprimeretur, propter Christum propriam Se-

dem et cognationem deferens, in Flandriam appulit, et in monasterio Dunstano ordinis Cisterciensis, non procul a civitate Brugensi olim constructo, jam vero penitus everso, humaniter susceptus, ibidem aliquandiu sanctissime conversatus est. Cum magna tandem virtutis opinione ex hac vita discessit, anno Domini MCLXXXIV. Decursu vero temporis quidam ejusdem loci Abbas, tanti viri sanctitate commotus, ejus venerandas reliquias aperire decrevit. Cum autem sarcophagum demovere inciperent, divinitus fuit ipsis prohibitum. Ex tumulo autem sanctissimi Præsulis divinæ suavitatis odor emanavit, qui se per totum templum spargens, omnes in admirationem convertit, ibi autem jam a centum annis corpus venerandi Patris requieverat. Subjicit deinde epitaphium quod jam ex Molano retulimus.

4 Ejus meminit idem Chrysostomus cum insigni elogio in Menologio Cisterciensi ad vii Januarii, additque in Notis illam sepulchri apertionem cujus et ipse in fasciculo et Molanus in Natalibus meminit, factam anno MCCCXLV, at tum nondum 100 annis ejus isthic reliquæ jacuerant. Molani nobis multo probabilior videtur narratio. Ferrarius in generali catalogo Sanctorum: In Norvegia S. Torphimi Episcopi Hamariensis. Fuit autem Hamaria, civitas olim Episcopalis in Norvegia sub Archiepiscopo Nidrosiensi. Dicitur nunc Astloensis Episcopi curæ subesse. Torphimi meminit et Martyrologium Gallo-belgicum, ac Sanctum appellat; Hugo Mænardus Beatum: sed in hoc corrigendum est mendum typographicum, dum in territorio Brugensi quiescere dicitur. Andreas Saussatus in Martyrol. Gallicano: Eodem die perrexit ad Christum, beatæ memoriæ Torphimus Episcopus Hamariæ in Norvegiæ regno, qui quod violatores Ecclesiasticæ libertatis zelo Sacerdotali oppugnaret, Sede sua ejectus, Brugas in Flandriam venit ad monasterium Dustanum Cisterciensis ordinis, cujus a pueritia alumnus erat: ubi cum 30 hebdomadas hospes resedisset, morbo pulsatus ad requiem, felici fine quievit. Ex cujus tumulo centum post obitum annis aperto, divinæ suavitatis odor manavit, cujus fragrantia totum templum perfusum est. Antonius Sanderus in Hagiologio Flandriæ Torphinum vocat.

DE